

quam ipsa iustitia & beatitudo nostra. Quod quisquis ad animum revocabit, eum vero gratia ab omni superbia & arrogantia proteget, docebitq; suam miseriam & paupertatem non ignorare, in Christo autem Divitias gratiæ omnibus hominibus præstitæ agnoscere.

CAPUT VIII.

DEUM FAMILIARISSE AD Pœnitentiam nos invitare, illamq; nequaquam negligendam aut differendam esse.

LUC. 15. *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore Pœnitentiam agente.*

Clementissimus Deus, ut dura & lapidea corda nostra emolliret, nosque à mundo, nobis ipsis, & diabolo ad se cõverteret, hominis cõversionem & pœnitentiam multifariã in verbo suo nobis delineavit & ob oculos constituit. Inter cœteros autem modos eminent duæ parabole, *Luc. 15.* de perdita ovicula, & filio prodigo, ad eo plenæ cõsolationis, ut citra lachrymas animo revolui non possint. Tria enim corda in illis depingit Servator noster;

*Triples
Cor.*